

Joachim Heinrich Sibrand


**Ad Memoriam Viri Praenobilissimi, Experientissimi, Dn. Georgii Dethardingii,
Medicinae Doctoris, Serenissimae Dvcis Meclenbvgicae Archiatri Fidelissimi ...
A Vidua Et Liberis Moestissimis, Recolendam, Cives Academicos Omnivm
Ordinvm Honoratissimos**

Rostochi[i]: Typis Joh. Weplingi[i], [1712]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1777068304>


Druck Freier  Zugang





Vol. 241. (2.) <SON>





AD MEMORIAM
VIRI PRAENOBILISSIMI, EX-
PERIENTISSIMI,

DN. GEORGII DETHARDINGII,

MEDICINAE DOCTORIS, SERENIS-
SIMAE DUCIS MECLENBURGICAE AR-
CHIATRI FIDELISSIMI,
MEDICI GVSTROVIENSIVM MERITISSIMI,
CVM FVNVS IPSIVS GVSTROVII ADORNARETVR

VIDUA ET LIBERIS MOESTISSIMIS,
RECOLENDAM,
CIVES ACADEMICOS OMNIUM
ORDINVM HONORATISSIMOS,
HVMANISSIME INVITAT

IOACHIMVS HEN- RICVS Sibrand/

PH. I. D. ET MORAL. PROF. PVBL. OR-
DINAR. ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS

HODIE RECTOR.

*Ex Bibliotheca
Academica
Rostochiensis*

*Ex Bibliotheca
Academica
Rostochiensis*

ROSTOCHI, Typis JOH. WEPPLINGI, SEREN.
PRINC. & ACAD. Typogr.



Xperientiffimos dici Medicos, & hoc ipfo titulo reliquis reliquarum Facultatum Doctoribus contradiftingui, ac ab ipsis fecerni, notorium est. An autem omnes fint experientiffimi in superlatiuo gradu, an vero faltem experientes, vel etiam experientiores aliis, nemini litem, nec vllam ftatus controuerfiam, vlla ratione mouebo. Sed hac vice a feopo meo haud alienum, nec plane incongruum, vel longius petitum videtur argumentum, fi quando in quibusdam verum Christianum cum Medico comparauero. Nimirum in eo, quod ille per experientiam, quoque fecernatur partim a nouellis, partim a falſis, fictis, fucatisque Christianis, (qui dum re Christianis mi deſtitui, nec nomen habere merentur) ac iisdem contradiftinguatur: quodque per experientiam, quatenus ipſam bonum Dei Verbum actu vitam ſuam, ſuamque in corde ipſius exerit efficaciam, vel ea quæ in Scripturis vt geſta recenſentur, in ſemetipſo quoque ſuauiter ſentit, fides ipſius magis magisque obfirmetur, prout per experientiam, Medici ſcientia firmior, ac certior redditur. Et quamuis rariora ſint exempla Chriſtianorum experientiffimorum: Imo ſi vocabulum hoc rigoroſe, & *κατ' ἀνεπιβίαν*, prout ſonat, accipere volueris, Chriſtianum experientiffimum dari in ſuperlatiuo gradu, ſimpliciter negauerim, ſicut & in hac imperfectione Medicum haud reperiſſes experientiffimum. Si tamen iuxta JGtorum aſſertum, quod in Legibus Romanis ſuperlatiuus aliquando ponatur pro poſitiuo, idem ad experientiffimi vocabulum applicaueris, negari nequit.

quit, per gratiam summi Numinis, prout Medicos, ita & Christianos experientes dari: Licet nec hi adeo sint frequentes, proindeque eorum exempla eo maiore cura, ac sollicitudine posteritati tradenda, & ad eandem transferenda. Solemus pretia rerum ex earum raritate determinare, illudque plus aestimare, quod difficilius, vel minori copia inuenitur, minoris vero cuius maior est copia. Vnde aurum inter omnia metalla pretiosissimum, quia rarissimum. Quidni ergo Christianos, vim, virtutem, & veritatem Verbi diuini expertos, (quorum, dum contristati in variis tentationibus, probatio fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur) in maximo haberemus pretio, cum rarissimi sint. Illorum Christianorum, prout vulgo appellantur, haud exiguus est numerus, qui more Ethnicorum honeste viuunt, a proæreticis & in sensu incurrentibus peccatis abstinere, ac de illis quæ in vero Christiano requiruntur, quænam ab ipso facienda, quænam omittenda, eleganter, etiam copiose satis differere possunt: qui sibi ipsis quasdam formant de fide saluifica, attributisque diuinis, v. g. omnipotentia, omniscientia, iustitia, misericordia, aliisque, ideas, imo fingunt fidem, quæ tamen sicut inter speculationes nudas nata, ita omni virtute & efficacia destituitur, ac in tentationibus perit, corrumpitur, euanescit: qui quidem alios redarguere queunt, atque exaggerare ipsorum vitia, peccata, defectusque, ad se ipsos haud respicientes, & vitia sua pro minimis habentes, eademque quantum possunt obtegentes, & excusantes, vel etiam sub virtutum specie palliantes. Ast vbi nam reperiantur illi? qui experti, & proinde certissime sciunt, quod tribulatio patientiam operetur: patientia.

tia autem experientiam; experientia vero spem: spes autem non confundat. *Rom. V. 3. 4. 5.* Sane prout huiusmodi Christiani experientes, gradatim per assistentiam diuinam, a tribulatione ad patientiam, a patientia ad experientiam, ab experientia ad spem & fiduciam in DEVM ascendunt, ita inexperti paulatim descendunt: dum ab initio quidem in tribulationibus patientiam aliqualem, sub spe quam citissime eluctandi, ostendunt, aut ubi instant ab horis protractæ in dies, a diebus in menses, a mensibus in annos, impatientiam produnt, adeoque vim & efficaciam Verbi diuini haud experiuntur: experientia destituti, nec spem nec fiduciam in DEVM ponere norunt, sed fiducia sua omni, vnica, & sola in medijs externis acquiescunt, proindeque non possunt non confundi. Quot sunt eorum? qui ipsi experti veritatem, vim, & efficaciam Verbi Diuini *Esa. XL. 29. 31.* Deus sempiternus Dominus, dat lassis virtutem, & robur multiplicat, vt assumant pennas sicut aquilæ, vt currant & non laborent, vt ambulent, & non deficiant. En! iterum gradus, qui quidem rationi sibi ipsi relictæ videntur retrogradi, ab assumendo pennas instar aquilarum, progredi velle ad cursum, a cursu ad ambulandum: de veritate tamen diuina testari per gratiam diuinam possunt Christiani experientes. In vijs e contra corruptis ac deuijs, manu ducente Satana & voluptatibus carnis, inuersus itidem communiter apprehenditur ordo, quatenus ambulantes in vijs peccatorum mox fiunt currentes, & ex currentibus citato plane cursu ad ea procedentes, quæ carni corruptæ sunt accepta & grata, aquilarum instar, viso cadauere. Aut continuo (ad minimum quoad desiderium sincerum) cursu, in vijs Jehouæ ambulantes, & non defici.

deficientes, sunt paucissimi. Quantus eorum numerus? qui ipsi experti, quod fides, si quando probata, patientiam operetur. *Jacob. I. 3.* Certe hoc ~~verum~~ fidei, Christianus in expertus, nunquam assumet, sed plane reiciet: quamvis experientia, per gratiam Altissimi, aliud in veris Christianis doceat, quorum patientia in dies augetur, & ad finem vsque perdurat. Quot nouimus eorum? qui vim, virtutem, atque veritatem Verbi diuini experti, quod quæstus sit magnus, cum nullo vnquam alio, quantuscunque fuerit, comparandus, pietas cum sufficientia, *I Timoth. VI. 6.* Opes conquirere, conquisitas solcite asseruare, asseruatas sibi soli referuare, hic quæstus vbique est maximus: Ast pietatem si quæras cum sufficientia, (licet omnes Christiani honeste saltem viuentes, ab imperitis rerum æstimatoribus pro piis habeantur, licet laudetur ipsorum pietas,) deprehendes, quod hæc sit ferme non ens, cuiusnam enim sufficit? est hæc res pro derelicto habita, & abiecta. Quærenda pecunia primum, (quærendi honores, quærendæ voluptates) pietas post nummos, qui contra senserit, risui se exponet. In hoc iam communissimo sic dictorum Christianorum statu, anne rara avis Christianus talis, qui coram omniscio, cordium scrutatore, testari potest, quod ipse per gratiam Spiritus Sancti inhabitantem, & vim, & virtutem, & veritatem Verbi diuini expertus? Optarem sane, me falli, & maximum horum inter nos esse numerum. Optarem, pietatem in nullo laudari, in quo non reperiatur, & in nullo reici, qui reuera eandem possidet: Cum tamen ipsa praxis plerumq; reclamet, eo maiore in æstimo ponendi, ac instar thesauri pretiosissimi, colligenda sunt exempla eorū Christianorū, qui salua & illæsa veritate huc

referri possunt. Fuit talis, cum viueret, Vir præ-
nobilissimus, experientissimusque DN. GEORGIUS
DETHARDINGIUS, Medicinæ Doctor, & Serenissimæ
Ducis Megapolensis Archiater fidelissimus, Günstroui-
ensium meritissimus Medicus, & Christianus experi-
entissimus: qui in corpore suo, multis, grauioribusq;
morbis, aliquot ante mortem annis, subiecto, & in-
animo suo per Verbum diuinum corroborato, multa ex-
pertus. Operati sunt in ipso varii morbi, & dolores acu-
tissimi patientiam mirandam, vires mere naturales su-
perantem: Patientia operata est experientiam: (Vnde
sæpiissime dicere solitus: Crucior, vt fiam experien-
tissimus, qui quidem sæpius dictus sum, sed non fui.)
Expertus enim est fidelem esse DEVM, qui non pati-
tur illos, qui ipsi confidunt tentari supra id quod possunt,
sed facit cum tentatione prouentum, vt possint sustinere,
1. Cor. X. 13. Experientia illa operata est spem constan-
tem, certissimamque fiduciam, quæ haud fefellit. Ex-
pertus est Medicus hic Christianus, quod fides si quando
probata, non solum patientiam operetur, sed & ad fi-
nem vsque perduret, cum non sufficiat bene cursum
inchoasse, sed & in eo persistendum. Expertus est
quod omnipotens dederit ipsi, lasso quoque, virtutem,
ac sæpius robur multiplicauerit. Imo tandem expertus,
quod magnus sit quæstus, pietas cum sufficientia. Non
hæc adulatorum more scribo, qui verbis extollunt,
quod haud adeo laude dignum & aliis placere student,
sed in conscientia abunde conuictus sum, me vera loqui.
Quisquis iam nostrum, Ciues Academici, veram, soli-
dam, probatam, infucatamque pietatem æstimare nouit,
quisquis perpendit, vnicum quod a Vidua, Liberisque,
post mortem Mariti charissimi, Patrisq; honoratissimi,
amoris

amoris ac reuerentiæ exhiberi potest documentum, hoc
esse, vt memoriã ipsius conseruent, & quem duxe-
rint sanguinem, quãnam in ipsorum vitæ curriculo
contigerint, quãnam ab ipsis gesta, & quisnam tandem
fuerit exitus, posteris relinquunt, æquus quoque erit
monumenti huius Iudex, atque Virtutum beate defun-
cti admirator, earundemque imitator. Cum autem
haud ex vna aliqua particula, sed non nisi perspecto toto
vitæ cursu, de qualitate pie defuncti iudicare valeamus,
paucissimis eundem haud fictis, falsisq; vtens coloribus,
sed prout in ipsa veritate est, exhibebo. Vitæ in hoc
mundo initium fuit, & vallem ærumnarum ingressus est
beate defunctus **DETHARDINGIVS NOSTER**, anno re-
cuperatæ salutis millesimo, sexcentesimo, quadagesimo
quinto, die secundo mensis Februarii, in munito illo, &
vbiq; celebri Pomeraniæ citerioris propugnaculo, Sedi-
no, vbi domicilium sibi constituerat *Parens* ipsius **GEOR-
GIUS DETHARDINGIVS**, Vir rerum chymicarum,
& pharmaceuticarum vlu & experientia celebratissimus,
Serenissimæ, Celsissimique Ducis Pomeraniæ quondam
Pharmacopœus, & Amplissimæ Stetiniensium Scabinatus
Adfessor grauisissimus. *Matrem* habuit **DOROTHEAM
REISICHS**. *Auum Paternum* **MICHAELEM DETHAR-
DINGIVM**, Medicinæ Doctorem, & Physicum apud
Stralsundenses tamigeratissimum. *Auiam Paternam*
ELISABETHAM *Weseners*. *Auus Maternus* fuit **AN-
DREAS REISICH**, Cinis ac Pharmacopœus apud Se-
dinenfes integerrimus. *Auia Materna* **ELISABETHA
MARSILIA**. *Proauum Paternum* laudat **BARTHOL-
DVM DETHARDINGIVM**, Philosophiæ Magistrum,
& Verbi diuini Ministrum apud nos ad templum Ma-
rianum vigilantissimum, cuius quoque variis in locis
me.

mæminit Vir maxime Reuerendus, atq; Amplissimus
DN. ZACHARIAS GRAPIVS. SS. Theologiæ Doctor, ac
Profess. Publ. ordinarius celeberrimus, Archidiaconus
Iacobæus meritissimus, Dn. Collega, Fautor ac Amicus
noster æstimatissimus, *in Rostochio Euangelico* p. 114. 115.
196. & 196. Est sane beneficium summi Numinis haud
exiguum, ex honestis, Christianis, pietate, probi-
tate & integritate vitæ conspicuis natum esse Parentibus,
quod & certissime gratissima mente agnoscit beate de-
functus noster, in eo quoq; felix, quod honestissimos,
probatissimosq; habuerit parentes: Sed in eo forte,
(nisi cognitum nobis esset, & perspectum, quod omnia
optime dirigat prudentissimus, sapientissimusque Di-
rector) dicendus minus felix, quod cura, educatione,
& consiliis pientissimorum Parentum vti haud potue-
rit, dum in infantia quinque annorum adhuc ipso
constituto, tam pater, quam mater eodem anno ad
superos euocati. Vnde tutelæ aliorum commissus,
qui tamen non tam tutores, quam potius tollitores
fuerunt, & in eorum classem referendi, de quibus
elegans quidem quoad ingenii acumen, ast tristis
quoad illos quid experiuntur, celeberrimi Morhofii
Iulus est, de *Tutoribus Datus* ad J. C. tos.

Fallit Tutores qui dixerit esse Datus,

Esse ablatiuos, nemo negare potest.

Tales enim habuit Tutores, qui contra effatum Impe-
ratoris in *L. 8. §. 5. in fin. C. de bon. que lit.* melius esse
crediderunt, haud coarctare sed frænum laxare iuue-
nilibus caloribus, quo cupidini dediti tristem senti-
ant exitum. Ast nec hoc citra mirandam & incom-
prehensibilem Sapientiam diuinam, (quo fine hæc ad-
ducta) quo postmodum ipsi eo maior tribuatur laus,
honor

honor, & gloria, dum & illa quæ noxia videntur, ad animæ salutem dirigere nouit. Quam prouidentiam diuinam singularem quoque agnouit, & sæpius verbis extulit beate defunctus. Interim a Tutoribus suis priuatæ informationi traditus, vsque ad annum ætatis decimum quartum, quo nondum elapso ad Scholam Stralsundensem ipsum ablegarunt, in cuius primam Classẽ post accessum introductus. Post anni autem decursum Sedinum repetere iussus, vbi primum priuata, eademque fidelissima vsus est informatione Dni Mag. WAGNERI, postmodum autem anno ætatis decimo sexto in Pædagogio Illustri Sedinensi in discipulorum numerum receptus. Sed vix per biennium variis scientiis, ac artibus ibidem enutritum, anno ætatis decimo octauo ad Academiam nostram Rostochiensem eundem miserunt Tutores, ac plenariæ, iuuenibus potissimum maximopere gratæ, & acceptæ libertati Academicæ tradiderunt, eidemque quæ erogaret, liberaliter suppeditarunt, probe gnati, quod in pecunia parata Iuuenum corruptela, cum ad communem vsum valeat. Direxit tamen fidelissimus Tutor superior beate defuncti cursum Academicum hac ratione, vt non solum studium eligeret Medicum, ex Medico sanguine natus, sed & Præceptores nactus, ac Doctores fidelissimos celebratissimosque, DN. D. JOHANNEM BACMEISTERVM, D. CASPARVM MARCHVM, & D. SEBASTIANVM WVRDIGVM, post fata adhuc in orbe eruditorum quoad famam viuentes. In specie vero Contubernalis sui DN. JACOBI KORNMESSERS, Candidati Medicinæ dignissimi ductum, diligentiam, & fidem plus quam fraternam expertus, tantosque, ingenii felicitate, ac donis ab Altissimo concessis adiutus, fecit progressus, vt sub præsidio Viri Prænobilissimi, Experientissimi, Excellentissimi que

B

laudati

laudati iam Doctoris JOH. BACMEISTERI problema quædam Physiologico - Medica, cum Commilitonum applausu publice defenderet. De hinc apud exteros quoque eruditionis thesauros, iamdum collectos, aucturus, Hafniam profectus, ibique degentis D. CASPARI KOELICHEN, Hafniensium Physici experientissimi, cuius iam antea priuata gauisus fuerat informatione solidissima, adhuc perdurantem sensit beneuolentiam, vtque coeterorum quoque DNORUM Professorum captaret fauorem, omnem mouit lapidem. Hafnia relicta, Regiomontanam adiit Academiam, vbi & hospitio & conuictu celeberrimi Professoris DN. M. ROELINGII vsus, atq; plus quam paternum affectum DN. D. LEPENERI, & D. WOSEGINII Medicinæ Professorum famigeratissimorum expertus. Et quamuis alias adhuc Regiones peragrando cupido beate defunctum inceseret, propositum tamen mutauit, cum illa quæ circa administrationem, & gestionem Tutelæ extricanda, ac dirimenda, præsentiam ipsius necessario requirerent, reditum ergo in patriam maturare coactus. Ibidem tamen haud diu subsistit, sed illis quæ expedienda erant, prout poterat expeditis, Rosetum nostrum repetiit, ibique vno die, scilicet 7. Nouembr. 1667 anno ætatis vigesimo secundo, & gradum Doctoris, & thori sociam assumpsit ANNAM CATHARINAM NESENIAM, B. Doctoris CONRADI SCHVCKMANNI, Antecessoris in hac Alma celeberrimi, (cuius filius D. JOACHIMVS SCHVCKMANNVS, defuncti priuignus, filii loco dilectus) relictam Viduam, filiam B. ANNAE SIBRANDIAE, cuius Parens, Pro Auus meus fuit, JOANNES SIBRAND, V. I. D. Codicis in hac Alma Professor, & Syndicus: insimulque singularem Altissimi prouidentiam expertus, dum vix sex elapsis mensibus Stralesundiam vocatus, ac Physici munus ipsi collatum, quod per decennium fideliter, soli-

folicite, dexterrimeque sustinuit, ibidemque miranda
plane habuit fata: quorum illud præ reliquis notatu
dignum, quod lethaliter decumbentem precibus D.
Cosmanni celeberrimi Theologi, & Henrici Piperi
reddiderit omnipotens, quod ipsum exemplum, ad
illustrandum quid preces adhuc hodie (secus ac senti-
unt Christiani nomine saltem tales) valeant, & oratio
possit, dummodo sit *ερεσιν κενον, Jacob. V. 16.* suppresso
nomine Theologus experientissimus, pientissimusque,
CHRISTIANVS SCRIVERIUS in aureo Libello de
Seelen Schwag dicto, *Tom. IV. Concion 17. S. 24. p. m 1396.*
sequ. edit. in 210. adducit. Nec minus providentiam
memorabilem, quæ hodie circa vocationes rarius ex-
pectari solet, ostendit benignissimum Numen, dum
beate defunctus minime hæc cogitans, sed debiti cu-
iusdam exigendi causa Gustrouium petens, ac occa-
sione discursus de formandis tempore pestis, a Magi-
stratu, aduenarum quæstionibus, in notitiam perueniens
immortalis memoriæ Principis, & solidæ eruditionis
æstimatoris, omnem nostram laudem longe superantis
**GVSTAVI ADOLPHI MECKLEN-
BVRGICI**, ab eodem tanquam Medicus Aulicus ele-
ctus, tandemque cura Corporis ipsi concedita, in Ar-
chiatrum assumtus, ubi insimul a Gustrouiensibus ad
Physicatum vocatus, in illaque functione post obitum
laudati iam **SERENISSIMI DVCCIS** perstitit, gratia
**SERENISSIMÆ DVCCIS VIDVÆ
MECLENBVRGICÆ** ad finem vsque vitæ ipsius con-
tinuata. Anne hæc apertissime docent, quod fidentem
sibi nesciat deseruisse **DEVS**? anne ex his eidentif-
sime vestigia Providentiæ ac curæ diuinæ, quilibet no-
strum, cui vitæ Jehouæ patent, & qui ad easdem respi-
cit, legere potest? eadem tamen haud minus eluce-
scent ex illis quæ circa duplex matrimonium, & pa-

catissimum, & exoptatissimum; prouidit benignis-
simum Numen. Et quidem primum coniugium anno,
prout iam dictum, 1667. initum, fecundioris fuit pro-
fisis, dum beate defunctus ex Coniuge sua suauissima,
dilectissimaque, ANNA CATHARINA NESE-
NIA, D. CONRADI SCHVCKMANNI superstiti
Vidua tres suscepit filias, & duos filios. Illarum natu
maior ANNA DOROTHEA, anno 1668. nata, &
matrimonio iuncta VICTORI PFEIFFERN, Pastori
Bellinensi, quæ tamen ipsa anno 1695. d. 11. Februar.
vna cum quinque liberis suis, vno scilicet filio, & qua-
tuor filiabus, partim statim post partum, partim in-
tenerrima ætate extinctis, pie defunctum nostrum
præiuit. Media filiarum CATHARINA ELISABE-
THA, anno 1669. nata, maritum habuit JACOBVM
BRVNSING, Serenissimi Ducis Mecklenburgici Vere-
diorum Præfectum Aulicum, quæ intra primum ma-
trimonii annum eodem mortuo, Vidua adhuc hodie in
vniuersitate sua de cura corporis, atque officiis
Parentibus exhibendis, laudabiliter fuit sollicita. Ter-
tius in ordine anno 1671 d. 13. Maii natus, est Vir præ-
nobilissimus, experientissimus, excellentissimusque,
GEORGIUS DETHARDINGIUS Medicinæ Doctor,
& Anatomie ac Botanices, vt & Mathematicum superio-
rum Professor in hac Alma Publ. Ducal. ordinarius cele-
berrimus, Fautor noster, Collega, & Cognatus, fra-
tris instar dilectissimus, æstimatissimus, cui clementis-
simum Numen hoc concessit beneficium, vt studio obse-
quentissimo gratum semet aliquantisper exhibere, atq;
ipse Pater, Patris sui honoratissimi, per dilecti, amorem,
caras ac sollicitudinem, aliquo modo agnoscere potue-
rit. Sic enim non solum anno 1697. d. 13. Octobr. per
connubium Coniugis suæ suauissimæ, & amabilis,
MARIAE REVSCHEN, quam nurum suam non
secus ac filiam impense amauit beate defunctus, sed &

per benedictionem diuinam natis quatuor filiis, GE-
ORGIO scilicet CHRISTOPHORO, GEORGIO
WILHELMO, GEORGIO FRIDERICO primo,
& hoc anno 1707. denato, GEORGIO FRIDERICO
secundo, & duabus filiabus, ANNA DOROTHEA,
& MARIA LOVISA Patrem suum exhilarauerit.
Minor pie defuncti natu filia, anno 1672. nata, CON-
CORDIA, adhuc Virgo Sponso cœlesti non solum de-
sponsata, sed & ab illo iam dum anno 1698. in habitatio-
nem cœlestem deducta: & filius ex prima con-
iuge natu minor GOTHOFREDVS, anno 1676. natus,
anno 1678. ad cœlites delatus, quem eodem anno, die
20. Maii secuta Mater ipsius, pie defunctum nostrum.
Viduum relinquens. Secundum matrimonium defun-
cti nostri haud minus ex voto cessit, cum Matrona no-
bilissima, & honestissima, ANNA MARIA WYLF-
RATHEN, B. Dn. Commissarii FREIEN relicta Vidua,
quæ iam iam obitum Mariti æstimatissimi, ex animo
luget, atque propter fidem Coniugalem summam, &
curam Corporis extraordinariam, atque indefessam,
haud satis de prædicanda, qua priuignum priuignamue
suam maximopere sibi deuinxit, quique Matris in-
star eandem veneraturos, atque dilecturos, sancte
spondent. Cæterum & hæc quoque Coniux, beati de-
functi numerum liberorum anno 1680. natiuitate ge-
mellorum auxit, quamuis & hi, postquam per lina-
rum baptismi, regenerati, in quo vni nomen GO-
THOFREDI, alteri GOTTLÖB impositum, terrenis
valedixerint. Licet autem DETHARDINGIVS NO-
STER variis negotiis distractus, & in praxi sua satis
superque quæ perageret, haberet, nihilo tamen minus,
otium cane peius & angue fugiens, in edendis quibus-
dam scriptis, & in consignandis iisdem tempus ali-
quod, operamque impendit, quæ amœno iucundoque

scribendi genere semet commendant. Et quidem ex illis quae iam edita sunt, exstant sequentia: praeter

1. Diatriben Academicam, exhibentem Problemata Physiologico-Medica, sub praesidio D. Johannis Bacmeisteri Rostoch. 1664. cuius iam supra mentio facta.

2. Disputatio Inauguralis, de imbecillitate Ventriculi, eodem Praeside anno 1667. non.

3. Discours über etliche Fragen eine Apotheker Taxam betreffend. Stralsund 1673. 12.

4. Discours vom Flecken-Fieber. Ibid.

5. Examen obstetricum, oder Befragung derer Heb-Ammen/ bestehend in 150. Fragen. Stralsund 1675. 12.

6. Der unterwiesene Kranckenwärter/Barinmen dessen/ so bey dem Kranken umgehret/ Gebührt/ und Ampt abgebildet/ und sitzge- steller wird. Kiel 1679. 12.

7. Entwurff von der billigen Vorsehung einer Christlichen Obrigkeit/ so wohl wenn die Pest amnoch fern/ als wenn sie auch schon im Lande/oder in der Stadt. Gustrau 1680. 12.

8. Wohlthätende Erinnerung vom schädlichen Mißbrauch der Arzney-Mitteln. Rostoch. 1686. 12.

9. Discours vom Gesund-Brünnen zu Reus in Pommern. Gustrau 1690. 12.

10. Die gewisse und Augencheinliche Gefahr/ und der Schade/derer Krancken/ die ihren Leib ihven/ oder auch medern Medicis argleich anvertrauen.

11. Epistola paracentica ad Afrum, de officio veri Medici. Altdorffi anno 1693. 4.

12. Tractat von der Unsicherheit.

13. Parallelismus ad observationes Physico-Medicas, extantes in Miscellaneis Curiosorum.

14. Vocabularium in usum Tyronum Chirurgiae. 8. Scripsit autem anecdotorum, quaedam sunt *Melichii*, qualis

15. Tractatus de Arthritide ex propria experientia conscriptus.

16. Tractatus de Renunciatione Vulnerum.

17. Note in Syderhamium de Podagra.

18. Otium decennale.

Quaedam Theologiae, v. g.

Meditatio de fide. de abnegatione sui ipsius. Catechismus in luce. Frommer Wittwen Trost. Meditation über die Passion in der

der stillen Woche: Gespräch zwischen einen Christen und Weis-
gesinneten: Betrachtung unter Seel und Leib: Gebetbuch. Qua-
sane evincunt, pie defunctum nostrum vnum illud necessarium haud
neglexisse, sed ita in ferris verlatum, vt *πρότερον* esset in caelis.
Cuius adhuc luculentiora producere possum documenta, quae animam
ostendunt beneficiorum diuinorum haud inmemorem, sed saepius
haec secum voluentem reuoluentemque, vnde non potuit non vene-
ratio, amor, assinium, atque laus benefactoris summi enasci. Ni-
mirum repertus est Index tecmeriorum providentiae & tutela diuinae,
cuius rubrum sequentis tenoris: *Recensio beneficiorum, a summo &*
Altissimo in me collatorum, quorum adhuc memini, ab infantia, ad
canitiem usque. Nigrum autem ita se habet.

1. Maximum, inmensum, & ineffabile beneficium reputo, quod
DEVS me ex nihilo formauerit hominem, & ex tantillo seminis, cor-
pus & animam construxerit: & quantumuis vtraque manus, dum in
lucem prodii, sexto digito abundauerit, (quem Chirurgi perita-
manus forfice abstulit,) haud tamen maiorem deformitatem Creator
meus admiserit.

2. Cum quadriennis coram Parentibus saltarem, in vrecum,
huiusque epistomium, tanta vi incidi, vt orbitam oculi finitimi gra-
uissime laeserim, cicatrice notabili ad senium vsque superstite, citra
quod oculus inde labem contraxerit.

3. Sexto aetatis anno, defunctis Parentibus pereharis, mortari-
um in officina Pharmaceutica quinquaginta & ultra librarum, pedem
meum sinistrum non tam concussit, quam confregit: Vlnus tamen
tam affabre fuit consolidatum, vt nullam inde in pede illo senserim
vnuquam molestiam.

4. Morbos infantiles, Variolas praesertim, & morbillos, ci-
tra vestigium, vel aliquod damnum superavi.

5. In obliuione patria decennis puer inter tot ictus tormento-
rum & pyropitarum iactus saluus evasi.

6. Sedini alumnus Illustris Pædagogii, pugnantibus inter se
commissionibus meis, & vigilibus illius loci, caput meum grandi
veste adeo fuit percussum, vt sanguis primum, mox pus ex aure si-
nistra profluxerit, citra omnem tamen abhinc obauditionem.

7. Medicinae studiosus, eques in flumen Varnum praecipitor,
& vorticibus eius abreptus, in eo fui, vt mole rotis committerem,
aut gratis diuina me liberare nouit, & saluum ex aquis protrahi iussit.

8. In itinere Regiomontum versus, cum per aggerem excel-
sum

sum & præcipitem prope Vistulam iter facerem, comite Studioſo Ju-
ris-Grasmano, ex incuria aurigæ præcipites dati ſumus cum carpen-
tibus, ac oneribus huic impoſitis. Eaſi incolumis, comite meo gra-
uiter laſo, qui anno vix elapſo inde obiit.

9. Febri petechiali grauiter decumbentem Sundii, me DEVS
precibus ſuorum reddidit.


10. Grauiter me alio tempore decumbente, Senatus populusq;
Stralsundensis, Phyſicatus officium detulit Doctori cuidam Medicinæ; at-
cum ex morbo reconualeſcerem præter ſpem omnium; denuo, & alte-
ra vice Phyſicus conſtitutus ſum, occumbente illo, quem ſubſtituerant.


Quibus & hoc annectendum, quod tanquam ſummum benefi-
cium ſæpius deprædicauit deſunctus noſter, ſemet in ſchola crucis va-
rie, ſedulo, & in optimo ætatis flore exercitatum, quam quidem
maximè opere fugiunt Chriſtiani inexperti (gaudia mundana, & terre-
na quærentes) inſtar Scholarium ignatorum, & inſipientium: ex-
perti autem Chriſtiani ſummum exinde colligunt amorem, & grati-
am diuinam, non ad illa reſpicientes quæ in ſenſus incurunt, ſed ad
fructum, commodum, & emolumentum vberriſimum. Dum ergo
deſunctus noſter in Domino vixit, in Domino quoque ipſi morien-
dum fuit: Vbi de morbo ipſius, mortis præcurſore, loquentem audi-
amus filium vnicum ſupra laudatum. *Aliis, ſcribit hic, & præſertim
Principibus inferuendo, ſe ipſum conſumſit. Arthritis tam vaga, quam
fixa, calculus, & caterna ſymptomatum, Satellitum inſtar, aut magis
carnificum, morbos iſtos ſtipans, furor ſuos exercuerant, ut exerce-
rent patientiam ejus, & animi magnitudinem, quos ſuſtinebat Spiritus
Sancti gratia. Marasmus tandem ſenilis finem fecit laboribus & abſti-
nis, & paſſiuis, illumque tradidit requiei æterna anno 1712. ſub auroram
vndecimæ diei Menſis Martii. H. J.* Et quidem in ſummis doloribus
patientia tamen ſummi Numinis gratia, haud laſa: Sed breui ante
obitum tempore, hæc verba was Gott thut das iſt wohl gethan/es
bleibt gerecht ſein Wille / & quæ ſequuntur, protulit, tandemque in-
ter fletus, præces, & ſuſpiria ſuorum placide in Domino obdormiuit.
Noſtrum iam eſt, Ciues Academici, veſtigiis laudatiſſimis Commilito-
nis noſtri inſiſtere. Spectauimus eundem ſcite, ac recte currentem.
Noſmet adhuc currimus in ſtadio, forte per horam ſaltem, vel qua-
drantem horæ, vel momentum, ſed non omnes accipiunt *Begegnung*.

Sic curramus, vt comprehendamus!

P. Sub Sigillo Rectoratus Academici, d. 7. April. A. O. R.

cl. 1712.







... & præcipitem prope Vistulam iter facerem, comite Studioso Ju-
 Grasmanno, ex incuria aurigæ præcipites dati sumus cum carpen-
 ac oneribus huic impositis. Evasi incolumis, comite meo gra-
 efo, qui anno vix elapso inde obiit.
 Febri petechiali grauius decumbentem Sundii, me DEVS
 suorum reddidit.
 Grauius me alio tempore decumbente, Senatus populusq;
 Physicatus officium detulit Doctori cuidam Medicinæ; ast
 reconvalescerem præter spem omnium; denuo, & alte-
 constitutus sum, occumbente illo, quem substituerant.
 annectendum, quod tanquam summum benefici-
 uit defunctus noster, semet in schola crucis va-
 rimo ætatis flore exercitatum, quam quidem
 ristianis inexperti (gaudia mundana, & terre-
 narium ignauiorum, & insipientium: ex-
 mum exinde colligunt amorem, & grati-
 bicientes quæ in sensus incurrunt, sed ad-
 volumentum vberimum. Dum ergo
 it, in Domino quoque ipsi morien-
 dum fuit: Vbi
 amus filium vnicu-
 Principibus inserui-
 fixa, calculus, & can-
 carnificum, morbos isto-
 rent patientiam ejus, & a
 Sancti gratia. Marasmus
 nis, & passivus, illumque tra-
 vndecim diei Mensis Martii.
 patientia tamen summi Numinis
 obitum tempore, hæc verba wa-
 bleibt gerecht sein Wille / & quæ
 ter fletus, preces, & suspiria suorum
 Nostrum iam est, Ciues Academici, v-
 nis nostri insistere. Spectauimus eundem
 Nosmet adhuc currimus in stadio, forte
 drantem horæ, vel momentum, sed non o-
 Sic curramus, vt compreh-
 Sub Sigillo Rectoratus Academici, d.
 cto McccXII.

*Ex Bibliotheca
 Academiae
 Rostochensis*